



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio II. De lege naturali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

quibus, hoc recte rationis dictamine posito, nihil deest ad hoc ut sint completa & integra regula ac mensura actuum creaturæ rationalis, vim habens completam & integram, creaturam rationalem obligandi circa omnia circa quæ præscribit aliquid, si ve præcipiendo, si ve prohibendo: unde, hoc recte rationis dictamine posito, nihil eis deest ad hoc, ut sint lex propriè dicta, & quidem completa & integra in ratione legis.

Hanc autem legem, quam cum rationis dictamine constituunt, naturalem nominamus, maxime propter complementum ejus intrinsecum, quod est actus naturalis rationis. Unde apparet legem naturalem ab æterna in eo tantum differre quoad rem, quod ei superaddat promulgationem, quæ sit in tempore per naturalem dictamen, à quo lex naturalis habet ut sit completè & integrè lex.

2. Lex dividitur in divinam & humanam. Lex divina dicitur ea, quæ fertur immediatè autoritate divina, si ve Deus promulget eam immediatè per se ipsum, si ve non. Subdividitur in naturalem & positivam. Lex naturalis est ea, quæ Deus statuit ea quæ sunt juris naturalis, qualia sunt omnia Decalogi præcepta, excepta determinatione Sabbati: positiva verò est ea, quæ Deus statuit ea quæ non sunt juris naturalis, qualia sunt præcepta Mosaica de caeremonialibus.

Lex humana dicitur ea, quæ fertur autoritate humana, quæ tamen autoritas vel immediatè vel saltem mediatè à Deo accepta est. Nam non est potestas, nisi à Deo. Subdividitur in civilem & ecclesiasticam. Ecclesiastica est ea, quæ fertur autoritate ecclesiastica, ut Summi Pontificis, vel Conciliorum. Civilis est ea, quæ fertur autoritate seculari, ut Imperatorum, vel Regum. Utraque subdividitur in naturalem ex parte objecti, & positivam: nam legislator ecclesiasticus & civilis possunt statuere aliqua, quæ sunt juris naturalis, & alia quæ non sunt.



DISPUTATIO II.

De Lege naturali.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit lex naturalis.

RESPONSIO I.

Lex naturalis bene describitur, rationis divinæ ordinatione ad bonum commune naturæ rationalis, à Deo ut authore illius promulgata, & creaturam rationalem obligans, quæ permanenter statuit ea omnia, quæ sunt juris naturalis, præcipiendo ea, quorum commissio naturam rationalem dedecet, atque statuendo de esse morali rerum in ordine ad certos effectus morales.

Explicatur itaque & prob. Dicitur 1. *Rationis divinæ ordinatio*, hoc est, actus intellectus divini prædicte & per modum imperii ad creaturas rationales dirigens voluntatem, quam Deus habet obligandi illas ad hoc, ut se gerant in omnibus modo naturam rationalem decet: vel, si vis, actus divini intellectus, practice & per modum imperii dictans cum efficaci voluntate obligandi quid creaturæ rationali faciendum sit aut omitendum, tanquam sibi, quæ rationalis est, conveniens aut disconveniens. Quod autem lex naturalis sit ordinatio rationis divinæ, patet ex dictis Disp. I. Art. I. Cum enim omnis lex sit ordinatio rationis, & lex naturalis sit divina, non enim est humana; legem naturalem esse rationis divinæ ordinationem necesse est.

Dicitur 2. *Ad bonum commune naturæ rationalis*: quia cum finis intrinsecus & essentialis legi omni sit bonum commune, & lex naturalis lata sit naturæ ra-

Simonnet Theol. Tom. II.

tionali, quæ tali, manifestum est legem naturalem latam esse propter bonum commune naturæ rationalis, quæ talis.

At inquit. Lex naturalis lata est immediatè propter bonum privatum individuorum. Resp. Esto. At dico saltem latam esse propter bonum privatum individuorum, ut redundet in bonum commune naturæ, & ita saltem latam esse mediatè & ultimatè propter bonum commune naturæ rationalis, quod sufficit. Dicitur potest Deum in ferenda lege naturali proximè & immediatè, & bonum privatum individuorum, & bonum commune naturæ spectasse.

Dicitur 3. *A Deo ut authore illius*, hoc est, naturæ rationalis, promulgata, hoc est, lata & instituta: leges enim instituuntur, cum promulgantur. Quod autem lex naturalis à Deo lata sit, faciliè probatur. Nam lex naturalis lata est naturæ rationali, & propter bonum commune naturæ rationalis. Ergo lata est ab eo, cujus est providere bono communi naturæ rationalis. Atqui providere bono communi naturæ rationalis, pertinet ad Deum, qui illius superior est, sicut & author ac conditor, & quæ illius author ac conditor est. Ergo, &c.

Dicitur 4. *Creaturam rationalem obligans*: quia lex naturalis lata est soli creaturæ rationali, & sola creatura rationalis capax est obligationis morales, quem effectum re ipsa causat in ea lex naturalis; quia ex efficaci intentione obligandi lata est à Deo, qui obligandi potestatem habet, ut supremus naturæ rationalis dominus ac princeps, & hanc intentionem practice & imperativè intimat per dictamina practica recte rationis.

Dicitur 5. *Qua permanentè*: quia lex naturalis creaturæ rationali in perpetuum lata est. Imò ex hypothese naturæ rationalis conditæ, non potuit non ferri à Deo lex naturalis, ut probabitur, & consequenter ex hypothese naturæ rationalis perseveraturæ, lex naturalis non potest non esse perduratura.

Dicitur 6. *Statuit ea, quæ sunt juris naturalis*: quia jus naturale proximè fundatur in lege naturali, ab eaque efficitur, nec est ab ipsa natura rationali, nisi remotè & radicaliter. Sic v. gr. tenemur ad non mentiendum; tenemur, inquam, jure naturali remotè & radicaliter, propter disconvenientiam quam mendacium habet cum natura rationali, quæ rationalis est: proximè verò & formaliter ac propriissimè, quia mendacium à Deo, ut authore & gubernatore naturæ rationalis, prohibitum est, quia naturam rationalem, quæ talem, dedecet.

Dicitur 7. *Præcipiendo ea, quorum commissio*, &c. quia jus naturale est tantum de iis, quæ ex natura sua decent, vel dedecet naturam rationalem, quæ talem, & consequenter de iis tantum, quæ ex natura sua relatè ad naturam rationalem, quæ talem, talia sunt, ut non possint non esse præcepta, aut non possint non esse prohibita. Unde fit, ut lex naturalis, ex hypothese naturæ rationalis conditæ, sit necessaria; & jus naturale, quod efficit, sit necessarium.

Porro additum est: *Atque statuendo*, &c. quia sicut inter actus creaturæ rationalis, aliqui sunt præcepti, aliqui prohibiti jure naturali, ita aliqui jure naturali irriti sunt & nulli moraliter in ordine ad certos effectus, quia eorum validitas disconveniens esset naturæ rationali, quæ rationalis est, & non potuerunt non irritari lege naturali à sapientissimo naturæ rationalis authore & rectore. Bonitas autem hujus descriptionis patet ex eo, quod sufficientissimè explicet naturam legis naturalis, eamque ab omni alio sufficientissimè distinguat.

RESPONSIO II.

Lex naturalis quoad rem & entitatem consistit, non quidem adæquatè, sed completivè, seu tanquam in complemento intrinseco & essentiali in dictaminibus recte rationis practice & imperativè dictantibus, quid sit faciendum, vel omitendum, velut consentaneum, vel dissentaneum naturæ rationali, quæ tali.

Et 1. quidem, quod lex naturalis non consistat adæquare in dictaminibus practicis recte rationis. *Prob.* Quia, ut patet ex dictis Disp. I. Art. I. omnis lex dicit, tanquam partes sui constitutivas, duos actus internos legislatoris, nempe voluntatem efficacem obligandi subditos ad aliquid, & locutionem internam practicam, hanc voluntatem ad subditos practice dirigentem. Ergo lex naturalis, quæ est lex proprie dicta & divina, dicit: tanquam partes sui constitutivas, duos actus Deo immanentes, nempe actum voluntatis divinæ, quo Deus ab æterno & pro æterno vult efficaciter obligare creaturas rationales ad facienda ea quæ fieri, & omittenda ea quæ omitti postulat natura rationalis, quæ rationalis est, & actum imperii intellectus divini, quo voluntas illa dirigitur ad creaturas rationales. Ergo lex naturalis constitui non potest adæquare in dictaminibus recte rationis.

2. Quod lex naturalis consistat in dictaminibus practicis recte rationis, tanquam in complemento intrinseco & essentiali. *Prob.* Quia lex omnis, ut patet ex dictis Disp. I. Art. I. intrinsece & essentialiter completur per actum externum practicum, quo actus interni legislatoris, quæ talis, modo practico & imperativo intimantur subditis, illisque practice & per modum imperii dicitur & præscribit, ut hoc vel illud faciant, aut omittant. Ergo lex naturalis, quæ est lex proprie dicta & divina, intrinsece & essentialiter completur per actus externos practicos, quibus Deus internos actus, quos habet quæ legislator naturalis, modo practico & imperativo exprimit & intimat creaturæ rationali, atque dicitur ac præscribit, quid debeat facere, tanquam conveniens, & omittere, tanquam disconveniens sibi, quæ rationalis est. Atqui dictamina practica recte rationis sunt actus externi, quibus Deus modo practico & imperativo exprimit, & creaturæ rationali intimat actus illos internos, eique dicitur & præscribit quid debeat facere, &c. Ergo lex naturalis intrinsece & essentialiter completur per dictamina practica recte rationis, proindeque dictamina practica recte rationis sunt etiam in recto ipsa lex naturalis, non quidem adæquare, sed completive sumpta.

Obj. 1. Actus externus, quo completur lex in ratione legis, seu in ratione regulæ actuum humanorum, ad agendum vel omittendum aliquid proxime obligantis, est actus legislatoris legem ferentis. Atqui dictamina practica recte rationis non sunt actus Dei ut legislatoris legem ferentis: sunt enim actus intellectus creati. Ergo falsum est, quod lex naturalis completur in ratione legis per dictamina practica recte rationis. *Resp. neg. min.* Quamvis enim hæc dictamina sint actus intellectus creati, & ab eo physice producantur, nihilominus sunt actus Dei ut legislatoris legem ferentis, & actus internos, quorum uno vult obligare creaturam rationalem, & altero practice dirigit hanc voluntatem ad creaturam rationalem, practice & per modum imperii intimantis ipsi creaturæ rationali.

Deus enim vim indidit creaturæ rationali eliciendi dictamina illa, & ad illa elicienda eam determinat, aut saltem ad illa concurrat per modum causæ primæ, & physice pramoventis ex speciali intentione per illa voluntatem suam obligativam, & locutionem suam internam practicam exterius exprimentis, & practice ac per modum imperii intimandi creaturæ rationali. Unde dictamina illa sunt verè & proprie actus externi Dei legem naturalem ferentis & promulgantis, seu locutio quadam Dei externa practica & imperativa, qua creaturæ rationali dicitur practice & per modum imperii, quid velit ab ea fieri vel non fieri, tanquam consentaneum vel dissentaneum ipsi, ut rationali.

Dices. Lex naturalis non potest compleri intrinsece & essentialiter, nisi per aliquid permanens: cum ipsa sit aliquid permanens. Atqui dictamina practica rationis non sunt aliquid permanens, sunt enim actus transeuntes. Ergo non sunt complemen-

tum intrinsecum & essentialiale legis naturalis. *Resp.* Dictamina practica recte rationis sufficienter esse quid permanens ad hoc, ut sint complementum intrinsecum legis naturalis: nam 1. sunt aliquid permanens, non quidem formaliter, sed virtualiter in potentia elicitiva, ex se semper parata & determinata ad illa producenda. 2. Sunt etiam aliquid actu permanens, non quidem physice, sed moraliter & æquivalenter, quatenus quoties occurrit agendi occasio, magna facilitate, & sæpè non libere, sed necessario eliciuntur. Unde perinde se habent in estimatione morali, ac si essent aliquid naturæ rationali concreatum, cum ipsa actu & physice permittant; quod sufficit, ut possint esse intrinsecum & essentialiale complementum legis naturalis: legem enim naturalem non aliter permanere, quantum ad complementum suum etiam intrinsecum & essentialiale, nullum habet inconveniens.

Dices. Dictamina illa practica quandoque, imò sæpè sunt erronea. Atqui legem naturalem compleri per dictamina erronea, evidenter repugnat. Ergo, &c. *Resp.* Legem naturalem secundum nos non compleri, nisi per dictamina vera: nam pro complemento intrinseco & essentiali legis naturalis assignamus, non qualibet dictamina practica, sed solum dictamina practica rationis recte, hoc est, rationis de rebus recte & verè judicantis. Juxta nos igitur, dictamina practica erronea, etiam si invincibiliter erronea sint, non pertinent ad legem naturalem, ut complementum ejus: unde nec sunt, nec possunt esse vera regula actuum humanorum, nec vim habent obligandi; & ita qui non agit secundum illa, peccat, non quia contra illa agit, sed quia agit sine persuasionem quod licite possit agere id quod agit.

Dices. Lex naturalis distinguitur adæquare ab actu, quo cognoscitur a subdito quem dirigit, eique applicatur. Atqui lex naturalis à subdito quem dirigit, cognoscitur, eique applicatur per dictamina practica recte rationis. Ergo ab illis adæquare distinguitur, & consequenter non completur ab illis intrinsece & essentialiter.

Resp. neg. maj. Itaque lex quidem positiva, five divina five humana, distinguitur adæquare ab actu quo cognoscitur, & applicatur subdito quem dirigit & obligat. Ratio est, quia lex positiva quævis est adæquare extrinseca subdito quem dirigit & obligat, ut facile patet consideranti modum quo leges positivæ promulgantur. At propter oppositam rationem lex naturalis non potest adæquare distingui ab actu quo cognoscitur, & applicatur subdito quem dirigit & obligat: cum enim actus externus, quo promulgatur lex, sit ejus complementum intrinsecum & essentialiale, & lex naturalis promulgetur per dictamina practica recte rationis, lex naturalis non potest subdito quem dirigit & obligat, esse externa adæquare, sed necessario secundum aliquam sui partem, qua nimirum intrinsece & essentialiter completur in ratione legis, est ei interna, in eoque vitaliter recepta.

Mirum igitur non est, quod lex naturalis per aliquam sui partem, eam scilicet qua completur in ratione legis, practice intimetur subdito, atque simul & indivisibiliter ab eo cognoscatur exercite, formaliter eum reddendo practice cognoscentem, quid facere quidve fugere debeat, velut conveniens vel disconveniens naturæ rationali, quæ tali, imò & reflexè; quia omnis actus intellectus est sui ipsius cognitio, & ita per dictamina practica non solum practice cognoscit, quid facere quidve fugere debeat, sed etiam cognoscit hoc se practice cognoscere; & cognoscendo hoc se practice cognoscere, cognoscit legem naturalem reflexè. Ergo lex naturalis non distinguitur adæquare ab actibus, quibus cognoscitur. & applicatur subdito quem dirigit & obligat, sed inadæquare tantum, nempe secundum actus internos legislatoris, quos includit præter actus externos, quibus intimatur & completur in ratione legis.

Lex igitur naturalis subdito quem dirigit & obligat,

gat, se ipsa immediate applicatur, quia applicatur per dictamen practicum, quo completur in ratione legis, & quo subditum formaliter reddit practice cognoscentem, quid faciendum quidve omittendum sit: hoc ipso enim subditus exercere cognoscit legem naturalem, & quidem sufficienter ad hoc, ut per eam dirigatur & obligetur. Quamvis autem lex naturalis sic se ipsa immediate applicetur subdito, non tamen se ipsa immediate applicatur ad opus, quia dictamen practicum, quo completur in ratione legis, est dictamen universale, quale est illud: Nunquam mentiri licet. Dictamen autem universale non potest ad opus applicari, nisi mediante dictamine particulari, seu iudicio practice practico, quo intellectus iudicat v. gr. non esse hic & nunc mentiendum. Hoc autem iudicium est applicatio legis ad opus, non ipsa lex: lex enim debet esse universalis, & abstrahere à circumstantiis particularibus, quibuscum dictamen particulare obiectum proponit.

Dices. Si dictamina practica rationis sunt complementum intrinsecum & essentiale legis naturalis, lex naturalis non est lex divina. Consequens est contra nos. Ergo, &c. *Resp. neg. seq. maj.* Quantumcumque enim dictamina illa sint actus intellectus creati, ab eo physice & immanenter elicit, sunt nihilominus actus Dei, ut legem ferentis, & voluntatem suam obligativam per illa practice intimantis, atque prescribentis quid fieri quidve non fieri velit; proindeque dictamina illa cum internis actibus Dei, ut legislatoris, constituunt completam & integram legem, quæ verè divina est, upote ab ipso Deo immediate lata & instituta.

Dices. Dictamina practica rectæ rationis dicantur precise aliquid esse faciendum vel omittendum, ut conveniens vel disconveniens naturæ rationali, quæ tali. Ergo falsum est, quod intiment voluntatem quam Deus habet obligandi creaturam rationalem ad faciendum vel omittendum aliquid, quia decet vel dedecet naturam rationalem, quæ talem; proindeque falsum est dictamina illa esse complementum legis naturalis. *Resp. neg. ant.* Nam dictamina illa simul & indivisibiliter saltem confuse & implicite, quod sufficit, dicant illud esse præceptum vel prohibitum à Deo, quia conveniens vel disconveniens est naturæ rationali, à Deo, inquam, ut authore & rectore naturæ rationalis. Hinc alias negavimus, ab ullo adulto, ubi primum præceptum aliquod naturale implendum occurrit, Deum inculpabiliter ignorari posse.

At inquit. In ea hypothese, siue possibili siue impossibili, in qua existeret natura rationalis, & tamen Deus nullam haberet voluntatem obligandi ad faciendam vel omittendam, quæ naturam rationalem decet vel dedecet, adhuc dictamina practica rectæ rationis essent omnino eadem, quæ nunc sunt. At qui in illa hypothese dictamina practica rectæ rationis precise dicant aliquid esse faciendum vel non faciendum, quia conveniens vel disconveniens est naturæ rationali. Ergo similiter nunc dicant precise, &c.

Resp. neg. maj. Nam in facta hypothese, ut dicitur in minore, nihil aliud dicant siue distincte siue confuse, quam aliquid esse faciendum vel non faciendum, ut conveniens vel disconveniens naturæ rationali, quæ tali. At in presenti hypothese, in qua Deus habet voluntatem efficacem obligandi creaturam ad faciendam ea, quorum ommissio, & omittenda ea, quorum commissio naturam rationalem dedecet, atque ad hanc voluntatem creaturæ rationali intimandam utitur dictaminibus practicis rectæ rationis; ita hæc dictamina modificat, ut saltem confuse dicant ab eo, ut authore & rectore naturæ rationalis, præcepta esse ea, quæ dicant esse faciendam, quia eorum ommissio, & prohibita esse ea quæ dicant esse omittenda, quia eorum commissio naturam rationalem dedecet.

Hinc in presenti hypothese, quæ sola possibilis est, ut infra ostendetur, nemo peccare potest contra re-

Simonnet Theol. Tom. II.

ctam rationem, purè dictantem aliquid esse faciendum vel non faciendum, quia conveniens vel disconveniens est naturæ rationali; & quicumque peccat contra rationem, dictantem aliquid esse faciendum vel non faciendum, quia conveniens vel disconveniens est naturæ rationali, peccat contra rationem saltem confuse dictantem aliquid esse præceptum vel prohibitum, quia conveniens vel disconveniens naturæ rationali, à Deo ut authore & rectore naturæ rationalis, atque ita Dei, ut authoris & rectoris naturæ rationalis, voluntatem obligativam practice intimantem, illamque complementem in ratione legis divinæ naturalis.

Hinc quicumque peccat contra rectam rationem, peccat contra legem divinam naturalem, & ita omne peccatum theologicum est, ac offensa Dei proprie dicta, inducens reatum damnationis æternæ, si grave est. Hinc divisio peccati in philosophicum, quod soli rationi repugnat, & peccatum, quod etiam adversatur legi divinæ, in presenti hypothese chymera est.

ARTICULUS II.

Quid prescribat, & ad quid obliget lex naturalis.

RESPONSIO I.

Lex naturalis prohibet, quidquid ex natura rei dedecet naturam rationalem, seu, quod idem est, prohibet id omne, cuius commissio intrinsecè & essentialiter dedecet naturam rationalem.

Prob. Nam id omne, quod ex natura rei dedecet naturam rationalem, prohibitum est aliqua lege divina: hoc enim evidenter pertinet ad sapientem naturæ rationalis, cuius Deus author & rector est, gubernationem. At si aliqua lege divina prohibitum est, certè lege naturali, quam Deus condidit ut author & rector naturæ rationalis, & quæ supponit in iis quæ prohibet, intrinsecam & essentialem turpitudinem, in quo differt à lege purè positiva, quæ non supponit in iis quæ prohibet, moralem turpitudinem, sed eam inducit. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Lex naturalis præcipit id omne, quod ex natura rei, siue antecedenter ad omnem ordinationem & constitutionem siue divinam siue humanam, necessarium est ad vivendum conformiter ad naturam rationalem, seu, quod idem est, præcipit id omne, cuius ommissio intrinsecè & essentialiter naturam rationalem dedecet.

Prob. Id omne, quod ex natura rei necessarium est ad vivendum conformiter ad naturam rationalem, præceptum est, imò non potest non esse præceptum aliqua lege divina ex hypothese naturæ rationalis condita: hoc enim essentialiter exigit sapiens & efficax naturæ rationalis existentis gubernatio. Ergo præceptum est aliqua lege, non libera Deo, sed necessaria ex hypothese naturæ rationalis condita. Sed talis lex non est, nisi lex naturalis: omnis enim lex divina positiva libera Deo est etiam ex hypothese naturæ rationalis existentis. Ergo, &c.

Porro in Resp. dictum est, legem naturalem præcipere id omne, quod ex natura sua necessarium est, &c. quia duplex est naturaliter honestum, unum cuius ommissio naturam rationalem dedecet, & quod proinde necessarium est ad vivendum honestè; alterum verò, cuius ommissio non dedecet naturam rationalem, & quod proinde ad vivendum honestè necessarium non est: hoc lex naturalis consulit tantum, alterum verò præcipit.

RESPONSIO III.

Lex naturalis, aliquid fieri præcipiens, non solum præcipit actum, sed etiam modum virtutis.

Q 4

Prob.

Prob. Nam præcipere etiam modum virtutis, est præcipere non solum ut aliquis fiat, sed etiam ut fiat modo naturam rationalem decente. Atqui lex naturalis præcipiens, non solum præcipit ut fiant actus, quorum omisso naturam rationalem dedecet, sed etiam ut fiant modo decente naturam rationalem. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam lex naturalis præcipit creaturæ rationali, ut vivat honestè & conformiter ad naturam rationalem. Atqui ad vivendum honestè, & conformiter ad naturam rationalem, requiritur non solum ut fiant actus, quorum omisso naturam rationalem dedecet, sed etiam fiant modo naturam rationalem decente.

Ex his sequitur legem naturalem, sive præcipientem, sive etiam prohibentem, adequatè impleri non posse, nisi per actus honestos, & moraliter bonos, quibus videlicet vel honestum aliquod prosequimur, vel averfamur aliquod inhonestum modo convenienti naturæ rationali, quæ rationalis est, ac proinde ex motivo naturæ rationali, quæ rationalis est, consentaneo, & cum omnibus aliis circumstantiis ei convenientibus, aut saltem non disconvenientibus.

Dices. Qui v. gr. restituit debitum, servat præceptum naturale, licet restituat modo indebito. Ergo lex naturalis non præcipit modum virtutis. *R.* Eum qui restituit debitum, sed modo indebito, satisfacere quidem præcepto naturali, quo præcisè præcipitur restitutio debiti, unde non tenetur ad novam restitutionem; at non satisfacere præcepto naturali, quo præcipitur ut omnia fiant, ac proinde ut hæc restitutio fiat modo convenienti naturæ rationali, quæ rationalis est. Unde neg. conf.

RESPONSIO IV.

Inter actus humanos aliqui non solum prohibentur, sed etiam irritantur lege naturali.

Prob. Nam 1. quando ex natura rei deest potestas moralis circa aliquem actum, actus ille non solum prohibitus est, sed etiam irritus jure naturali. Talis est v. gr. donatio rei jam alteri donatæ, quia ex natura rei deest in donante potestas donandi rem jam donatam: qui enim donat rem aliquam, transfert à se dominium illius, proindeque hoc ipso ex natura rei caret potestate donandi illam alteri. At verò donatio rei jam promissa alteri, est quidem prohibita jure naturali; jus enim naturale præcipit, ut res donetur ei, cui promissa est: at non est jure naturali irrita, quia promissio non transfert rei dominium in promissarium, & sic cum promissione uni facta, manet in eo qui promissit, moralis potestas donandi rem alteri.

2. Quando adest quidem potestas moralis, sed deest usus & applicatio hujus potestatis circa actum aliquem, hic actus non solum prohibitus est, sed etiam irritus jure naturali. Sic v. gr. si Titius solutus matrimonium contrahat cum soluta, putà Bertha, putans se contrahere cum Maria, & volens cum illa contrahere, contractus jure naturali irritus est: licet enim uterque potestatem habeat contrahendi, deest tamen usus & applicatio talis potestatis circa talem personam, & ita hæc potestas nihil operatur. Nam ex natura rei potestas contrahendi nullum habet effectum, nisi ea utaris, eamque applies.

Ratio à priori pro utroque casu est, quia natura rerum, circa quas lex naturalis versatur, est fundamentum & mensura illius. Ergo sicut lex naturalis præcipit aliqua, quia eorum omisso, & aliqua prohibet, quia eorum commissio ex natura sua naturam rationalem dedecet, ita irritat aliqua, quia ex natura sua talia sunt, ut natura rationalis postulet ea esse invalida. Item dictamina practica rectæ rationis sunt intimatio & promulgatio legis naturalis. Unde sequitur legem naturalem præcipere ea omnia, quæ recta ratio dicitur esse facienda, & ea omnia prohibere, quæ recta ratio dicitur esse facienda non esse. Ergo propter eandem rationem lex naturalis irritare dicenda est ea omnia, quæ recta ratio pro nullis dicitur esse habenda.

RESPONSIO V.

Lex naturalis obligat in conscientia circa ea omnia, quæ Deus, ut auctor naturæ, statuit sive præcipientes, sive prohibendo, sive etiam irritando.

Prob. 1. Ex Apostolo Rom. cap. 2. ubi loquens de gentilibus sic ait: *Quicumque sine lege (scripta) peccaverunt, sine lege (scripta) peribunt*, nempe propter peccata contra legem naturalem commissa. Non perirent autem gentiles propter peccata contra legem naturalem commissa, si lex naturalis non obligaret in conscientia; & qui contra legem naturalem graviter peccant, non incurrerent reatum culpæ & damnationis æternæ.

Prob. 2. Ratione: quia lex naturalis est ordinatio Dei pro supremo suo jure alia præcipientis, prohibentis alia tantum, alia irritantis simul & prohibentis. Atqui Deus sic pro supremo suo jure ordinans, obligat in conscientia. Ergo, &c. *Quod confir.* Quia legi naturali nihil deest ad obligandum in conscientia. Ad hoc enim tria tantum requiruntur, nempe potestas obligandi in legislatore, efficax recipia obligandi voluntas, & hujus voluntatis intimatio practicè & per modum imperii facta subditis. Hæc autem tria ad sunt respectu legis naturalis: cum sit ordinatio & constitutio Dei per dictamina practica rectæ rationis practicè & imperativè intimantis voluntatem suam obligativam ad faciendam vel omittendam ea, quæ natura rationalis, quæ talis, fieri vel omitti postulat. Lex igitur naturalis obligat sub culpa mortali, vel veniali, prout ejus materia gravis est, vel levis; sive, quod idem est, prout illius, quod præcipit aut prohibet, omisso aut commissio naturæ rationali, quæ tali, graviter vel leviter repugnat.

Obj. Lex non potest obligare ad poenam, quam non potest manifestare. Atqui lex naturalis non potest manifestare poenam æternam: nam poena æterna non potest cognosci solo lumine naturali. Ergo lex naturalis non potest obligare ad poenam æternam, & consequenter non potest obligare sub culpa mortali, quæ inductiva est reatus poenæ æternæ. *Resp. neg. major.* Nam ut delinquens incurrat reatum alicujus poenæ, necesse non est ut poenam illam cognoscat sive per legem, sive aliunde, sed satis est, si faciat actum dignum tali poena, & actus illius malitiam cognoscat, aut saltem non ignoret nisi culpabiliter, & hæc ignorantia sit graviter culpabilis, quando poena propter actum infligenda gravis est.

ARTICULUS III.

Utrum lex naturalis sit necessaria.

RESPONSIO.

Lex naturalis non est necessaria absolute, sed est necessaria ex hypothesi præsentis, in qua natura rationalis condita est cum usu rationis ac libertatis circa bonum & malum, & cum fragilitate sibi contraria naturali.

Prob. 1. pars. Nam lex naturalis non est magis necessaria, quam rationalis creatura, cui fertur. Atqui creatura rationalis non est absolute necessaria: potuit enim Deus abstinere à productione creaturæ intellectualium: cum Deus liberè producat quidquid producit ad extra, atque ita illud producat, quia vult, ut posset non producere, & non produceret, si noller. Ratio à priori est, quia sibi ipse sufficit, nec ad esse, aut bene esse indiget alio, quod sit extra se.

Prob. 2. pars. Quia ex hypothesi quod Deus voluerit producere creaturam rationalem, non potuit non velle illam gubernare sapienter, & modo sanctitati suæ convenienti: hoc enim pertinet ad ideam entis, quo nihil melius cogitari potest. Atqui ad sapientem, & sanctitatem divinam convenientem gubernationem creaturæ rationalis, condita cum usu ac libertate circa

circa bonum & malum, & cum fragilitate sibi con- naturali, evidenter requiritur, ut Deus statuat, & auctoritate sua sanciat ea quæ sunt juris naturalis, præcipiendo scilicet ea quæ ex natura rei necessaria sunt ad vivendum honestè, & ea prohibendo quæ ex natura rei turpia & inhonesta sunt, atque ita creaturæ rationali hæc vitandi & illa faciendi im- ponendo propriè & strictè dictam obligationem, con- tra quam qui agerent, reatum culpæ & pœnæ pro- priè & strictè dictum, & quidem in rebus naturæ rationali graviter repugnantibus, culpæ mortalis & pœnæ æternæ incurrerent. Ergo, &c.

Prob. min. Quia si Deus creaturam rationalem, qualem condidit, relinqueret naturali iudicio ratio- nis approbantis alia ut consona naturæ rationali, alia verò ut naturæ rationali dissona reprobantis, eam ad bonum agendum non moveret, aut à faci- endo malo non deterreret, nisi valdè inefficaci- ter, ut ostendit experientia eorum omnium, quos offensæ divinæ & æternæ damnationis, quam tamen sola offensæ Dei gravis, & ejus vel formalis vel saltem virtualis contemptus inducere potest, consideratio, ad faciendâ eam quorum ommissio, & omittendâ eam quorum commissio naturæ rationali graviter repugnat movere non potest efficaciter. Atqui hoc sapienti, & sanctitati divinæ convenienti gubernationi eviden- ter adversatur. Ergo, &c.

Obj. Repugnat Deum necessitari ad aliquid ex iis quæ sunt ad extra. Ergo, &c. *R. dist. ant.* Repugnat necessitati absolutè, & extra omnem hypothesein, C. ant. Repugnat necessitati ex aliqua hypothesei, ipsi libera, N. ant. Nam v. g. ex hypothesei quòd Deus promiserit aliquid, non potest non implere promissum, quia non implere promissum, intrinsecè & es- sentialiter dedecet naturam divinam. Non potest au- tem Deus, qui essentialiter indefectibilis est, aliquid, quod naturam divinam dedecet.

Propter eandem rationem, ex hypothesei quòd con- diderit naturam rationalem, qualem condidit, non potest non ei legem naturalem imponere; quia ex hypothesei, quòd eam condiderit, non potest eam non sapienter, & modo sanctitati suæ convenienti gubernare: nam naturam rationalem conditam de- ferere, aut non sapienter gubernare, intrinsecè & essentialiter naturam divinam dedecet; nec potest eam, qualis condita est, sapienter, & modo sancti- tati suæ convenienti gubernare sine lege naturali, præcipiente illa, quæ ex natura rei honesta, & ad honestè vivendum necessaria sunt, & illa prohiben- te, quæ ex natura rei turpia sunt & inhonesta.

ARTICULUS IV.

Utrum lex naturalis capax sit mutationis propriæ dictæ.

RESPONSIO.

L Ex naturalis non potest mutari propriè.

Prob. Quia lex mutatur propriè, cum muta- tur in se. Atqui lex naturalis non potest mutari in se. Ergo, &c. *Prob. min.* Lex mutatur in se, aut quando desinit, quia desinit conducere ad bonum commune, vel etiam incipit ei esse contraria; aut quando ad aliquod tantum tempus lata est, quo proinde finito, eo ipso extinguitur; aut quando ab- rogatur à superiore; aut quando contraria consue- tudine præscribitur; aut etiam, si vis, quando re- stringitur per dispensationem propriè dictam. At- qui nihil horum legi naturali potest contingere. Ergo, &c.

Prob. min. Nam 1. Lex naturalis non potest per se ipsam desinere, quia neque ad tempus lata est, sed in perpetuum, neque potest unquam non conduce- re ad bonum commune naturæ rationalis: cum præ- cipiat, aut prohibeat ea tantum, quorum ommissio aut commissio intrinsecè, & essentialiter ipsam na- turam rationalem dedecet, & consequenter ea tan-

tum præcipiat, aut prohibeat, quæ fieri, aut omit- ti semper conducet ad bonum commune naturæ ra- tionalis.

2. Non potest abrogari à superiore, quia non habet superiorem, nisi Deum, à quo necessariò lata est ex hypothesei præsentis. 3. Non potest præscribi contraria consuetudine, quia consuetudo ab hominibus indu- cta non potest prævalere juri naturali; jus enim hu- manum non potest prævalere juri divino, quale est jus naturale. 4. denique, non potest restringi per dispen- sationem propriè dictam, quia nulla potestas etiam- si divina sit, dispensare potest propriè in jure natura- li, ut probabitur Art. seq. Ergo, &c.

Obj. 1. Communitas bonorum fuit de jure naturali. Atqui tamen jure gentium introducta est bonorum divisio & proprietas. Ergo, &c. *R.* Communitatem bonorum fuisse de jure naturali negativè, non positi- vè. Nam jus naturale permittit quidem bonorum com- munitatem, at non præcepit, nec prohibuit bonorum divisionem & proprietatem. Unde cum jure gen- tium divisio & proprietas bonorum introducta est ra- tionabiles ob causas, nihil juri naturali contrarium statutum est.

Obj. 2. De jure naturali fuit non solum negativè, sed etiam positivè, ut omnes homines essent liberi. Atqui tamen jure gentium introducta est servitus. Er- go, &c. *R. dist. maj.* De jure naturali fuit non solum negativè, sed etiam positivè, ut omnes homines es- sent liberi, nulla supposita culpa vel injuria. C. maj. lex enim naturalis non solum permittit, sed etiam præ- cepit, ut, nulla supposita culpa vel injuria, sua frue- rentur homines libertate. De jure naturali fuit, &c. supposita aliqua culpa vel injuria propter quam potuit iuste bellum inferri hostibus, N. maj. Nam lex natu- ralis permittit pro eo casu homines in servitutem re- digere: si enim licuit per legem naturalem eo ca- su hostem interficere, à fortiori per legem natu- ralem licuit, mortem in servitutem commutare. Servitus igitur jure gentium in casu iusti belli in- troducta est, non reluctante, sed consentiente ju- re naturali.

Obj. 3. Per legem humanam præscriptionis, dero- gatum est legi naturali, prohibenti ne retineatur alie- num, invito domino. Ergo, &c. *R. neg. ant.* Nam lex præscriptionis, ab humano legislatore lata, non facit ut alienum, manens alienum, retineatur invito do- mino; sed solum facit, ut id quod erat alienum, jam non sit alienum, sed proprium possidentis, quate- nus legislator humanus, qui ut communitatis prin- ceps, disponere potest de bonis privatorum, quantum expedit bono communi, statuit ut qui bona fide & certo tempore possederit rem alienam, acquirat do- minium illius, eoque dominio privetur prior domi- nus; statuit, inquam, ad lites impediendas, & pu- niendos negligentes dominos, qui rerum suarum cu- ram negligunt. Lex autem naturalis neque prohibuit unquam hoc statui, cum hoc statui bono communi multum expediat; neque præcepit unquam rem alie- nam restitui priori domino, postquam desit esse aliena, & ad priorem dominum pertinere. Lex igitur præscriptionis legi naturali non contraria, sed consentanea est.

Obj. 4. Leges humanæ requirentes certam solem- nitatem in contractibus, ad hoc ut sint validi, de- rogant legi naturali: nam re ipsa reddunt invali- dos contractus, qui antea jure naturali validi erant. Ergo, &c. *R. neg. ant.* Nam leges illæ juri naturali non derogant, sed solum addunt aliquid, quod qui- dem jus naturale non præcipit, sed nec prohibet addi, quatenus ad valorem contractuum requirunt certas condiciones, quæ quidem non requiruntur ex natura rei, & quæ proinde non requiruntur lege na- turali, sed quas requiri bono communi expedit, & quas proinde requiri permittit lex naturalis. Leges igitur requirunt certam in contractibus solemni- tatem, permittente, non contradicente lege natura- li, quæ contractus illos non dictavit fore validos, nec validos esse voluit, nisi quandiu legislator hu- manus,

manus, propter commune bonum, ad eorum valorem aliquas conditiones communi bono expedientes non requisivit.

ARTICULUS V.

Utrum lex naturalis pati possit dispensationem propriè dictam.

RESPONSIO.

Nulla potestas, sive humana, sive divina, dispensare potest propriè in lege naturali.

Prob. Nam superior non dicitur dispensare propriè in lege, nisi cum personam aliquam liberat ab obligatione legis, manentibus omnibus circumstantiis, in quibus lex viget & obligat. Atqui nequidem Deus potest personam aliquam eximere ab obligatione legis naturalis, manentibus omnibus circumstantiis, in quibus obligat. Ergo, &c.

Prob. min. Quia si Deus eximeret personam aliquam ab obligatione legis naturalis, manentibus omnibus circumstantiis in quibus obligat, permetteret aliquid intrinsecè malum: tandiu enim omisso vel commissio actionis quam præcipit vel prohibet lex naturalis, est intrinsecè mala, quandiu manent omnes circumstantiæ in quibus lex naturalis præcipit vel prohibet actionem illam, proindeque obligat ad illam faciendam vel non faciendam: nam fundamentum actionem illam lege naturali præcipiendi vel prohibendi, proindeque obligandi ad illam faciendam vel non faciendam, est intrinseca malitia, seu intrinseca cum natura rationali dissonantia omissionis vel commissionis ejus. Atqui evidenter repugnat Deum permittere aliquid intrinsecè malum, seu intrinsecè dissonantem naturæ rationali, quæ tali: hoc enim evidenter adversatur summæ sanctitati divinæ. Ergo, &c.

Obj. 1. Deus dispensavit cum Abraham, ut filium suum posset occidere. Ergo, &c. *R. neg. ant.* Nam Deus non permisit Abrahamo, ut filium suum interficeret, manentibus omnibus circumstantiis, in quibus occisio hominis est extrinsecè mala, & prohibetur lege naturali: prius enim, ut supremus vitæ & necis arbiter, jus in vitam filii innocentis concessit Abrahamo, quam præciperet & permetteret illi, ut filium occideret.

Obj. 2. Deus propriè dispensavit cum Osea propheta, ut posset fornicari. Ergo, &c. *R. neg. ant.* Nam Deus non concessit propheta, ut ad mulierem accederet ante matrimonium cum ea initum, sed solum iussit illi, ut eam, quæ fornicaria fuerat, uxorem duceret, & ad eam affectu maritali accederet, quorum certè neutrum legi naturali repugnat. Porro mulier illa, etiam post matrimonium cum propheta initum, dicitur fornicaria propter vitæ præcedentis infamiam, & filii ejus filii fornicationum appellantur, propter opprobrium matris.

Obj. 3. Deus dispensavit cum Israelitis, ut possent furari vasa Egyptiorum. Ergo, &c. *R. neg. ant.* Non enim Deus concessit Israelitis, ut Egyptiorum vasa raperent, manentibus omnibus circumstantiis, in quibus hoc tanquam furtum lege naturali prohibitum erat: rapere enim rem alienam invito domino, non est furtum, nec lege naturali prohibitum, nisi quandiu res aliena manet aliena. At prius quam Deus Israelitis concederet, ut spoliarent Egyptios, Egyptiorum vasa Israelitis donavit, vel ut supremus bonorum omnium dominus, vel ut supremus iudex, nimirum ad puniendos Egyptios ob summam eorum in Israelitas immanitatem, aliave scelera, aut ad retribuendam Israelitis debitam laborum Egyptiis imperforum mercedem. Dum igitur Deus Israelitis concessit, ut Egyptiorum vasa raperent, concessit illis, ut, quod suum erat, sumerent, quod certè lege naturali nunquam fuit prohibitum.

Obj. 4. Deus dispensavit cum Patriarchis in polygamia, & cum Judæis in libello repudii. Ergo, &c. *R. neg. ant.* quoad utramque partem. Nam I. Deus

non concessit Patriarchis, ut plures uxores ducerent, manentibus omnibus circumstantiis, in quibus pluralitas uxorum lege naturali prohibetur: non enim lex naturalis prohibet pluralitatem uxorum, nisi quandiu manet mariti inhabilitas ad plures uxores ducendas, quam inhabilitatem tollere potest Deus, vel ut author naturæ, cui in ordine ad conservationem & propagationem proles jure matrimonii subjacent; unde & de illis pro arbitrio statuere potest; vel ut supremus corporum dominus, in plures uxores dividendo dominium corporis mariti. Deus autem in Patriarchis prius sustulit naturalem ad plures uxores ducendas inhabilitatem, quam illis concederet uxorum pluralitatem, & ita pluralitatem uxorum concessit illis in iis circumstantiis, in quibus lege naturali nullatenus prohibita fuit.

2. Deus non permisit Judæis, ut priore uxore superstiti, secundam ducerent in iis circumstantiis, in quibus lex naturalis hoc prohibet: lex enim naturalis non prohibet secundam duci uxorem, priore vivente, nisi quandiu matrimonium eum illa initi vinculum manet. At Deus permittendo Judæis libellum repudii, prioris matrimonii vinculum dissolvebat, & ita Judæis non concedebat, ut priore uxore superstiti, ad secundas convolarent nuptias, nisi dissoluto autoritate divina prioris matrimonii vinculo, pro quo casu non erant lege naturali prohibita secundæ nuptiæ.

Obj. 5. Deus dispensavit cum Machabæis, ut posset Sabbatum violare. Ergo, &c. *R. Machabæi non usi sunt dispensatione, sed interpretatione: tantum enim interpretati sunt se non esse violaturos Sabbatum, opus ad vitam conservandam necessarium exercendo, & rectè interpretati sunt.*

Obj. 6. Deus quotidie dispensat per Summum Pontificem in votis & juramentis, quorum tamen obligatio naturalis est. Ergo, &c. *R. Deum per Summum Pontificem, tanquam Vicarium suum & Oeconomum, dispensare in votis & juramentis, non concedendo, ut sibi non reddatur quod promissum est, sed relaxando promissionem sibi factam. Unde per ejusmodi dispensationem Deus non concedit homini, ut non reddat quod promissum, manentibus circumstantiis, in quibus lex naturalis obligat ad reddendum promissum: lex enim naturalis ad reddendum promissum non obligat, relaxata promissione; & ita Deus per ejusmodi dispensationem non dispensat propriè in lege naturali. Porro similiter Deus per Summum Pontificem dispensat in matrimonio rato, non consummato, per eum tollendo vinculum, & matrimonii contractum rescindendo, qui contractus subest authoritati Dei, ut auctori naturæ, & rerum omnium Domino.*

Quæres, utrum lex naturalis pati possit saltem improprie dictam dispensationem?

R. Affirmativè. Nam per dispensationem improprie dictam intelligitur vel authentica legis interpretatio, vel materiæ mutatio facta authenticè, seu per authoritatem superioris. Atqui hoc utrumque in legem naturalem cadere potest. Ergo, &c. Hæc tamen nostra responsio restrictionem aliquam admittit. Sunt enim quædam legis naturalis præcepta, in quibus nequidem improprie dispensari potest. Tale est præceptum prohibens odium Dei, blasphemiam, &c. Nam odium Dei & blasphemia ita mala sunt intrinsecè, ut per nullam in objecto aut circumstantiis mutationem factam fieri possint non mala, & licita. Idem dic de præcepto naturali prohibente mendacium: mendacium enim talis est naturæ & malitiæ, ut nullæ sint possibiles circumstantiæ, in quibus naturam rationalem non dedecet, proindeque in quibus non turpe sit & inhonestum: aliqui Deus posset mentiri, & homines ad mentiendum impellere: quod multum elevarer veracitatem divinam: non enim posset summam à nobis fidem exigere, nec religionis nostræ principia summam haberent certitudinem.

Quæres, utrum lex naturalis indigeat declaratione & interpretatione?

R. in multis indigere. Ratio est, quia multa, quæ sunt

sunt juris naturalis, non nisi difficile intelliguntur. Et verò cum lex naturalis supponat res esse tales in se, quales eas decernit, hoc est, in se malum esse quod prohibet, in se bonum esse & moraliter necessarium quod præcipit, in se licitum esse quod permittit, in se denique irritum esse & nullum quod irritat; ad habendam veram legis naturalis notitiam, necessariò investigandæ sunt circumstantiæ, in quibus actus humani sunt in se boni vel mali, in se necessarii vel non necessarii, ad honestè scilicet vivendum; in se liciti vel illiciti, in se denique validi vel invalidi. Ad hoc autem sæpe opus est declaratione & interpretatione.

Quæres, utrum lex naturalis aliquando indigeat epykia propriè dicta?

R. negativè. Nam illa tantum lex indiget epykia propriè dicta, quæ præcipit vel prohibet universaliter per verba generalia, quæ corrigenda sunt in casibus in lege non expressis, sive casus illos legislator præviderit, sive non. Epykia enim propriè loquendo est *emendatio legis ex ea parte, quæ deficit propter universale*. Atqui lex naturalis non, sicut positiva, præcipit vel prohibet universaliter per verba generalia, in certis casibus qui excipi debuerunt, corrigenda: lex enim naturalis præcipit quidem vel prohibet universaliter, at simul excipit casus omnes excipiendos; cum sit ordinatio divina practicè intimata per dictamina practica rectæ rationis, præcis circumstantiis particularibus, in quibus fiunt actiones, dictantis singillatim de iis omnibus, quæ bona sunt vel mala, licita vel illicita, valida vel invalida ex natura rei, agenda vel non agenda esse, permissa vel non permissa esse, valere vel non valere. Ergo, &c.

Quæres, utrum lex naturalis possit deleri de cordibus hominum?

R. 1. nullatenus deleri posse quoad prima principia, quia sunt omnibus per se nota, qualia sunt ista: Bonum faciendum est, malum fugiendum; Quod tibi non vis fieri; alteri non feceris. Ita S. Thomas hic q. 94. a. 6. in O.

R. 2. deleri posse quoad præcepta particularia, ut ostendit experientia. Ita S. Thomas ibidem. Præcepta illa particularia alia sunt, quæ faciliè deducuntur ex primis principiis, & non nisi culpabiliter delentur de cordibus hominum, vel propter malas persuationes, vel propter pravas consuetudines & habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam. Alia verò sunt, quæ non nisi difficillimè possunt ex primis principiis erui, & possunt per ignorantiam inculpabilem deleri de cordibus hominum, ut tenent Doctores communissimè. Vide Tractat. de Actibus humanis.

Quæres, utrum jus gentium sit naturale?

R. Jus gentium esse formaliter positivum. Nam jus gentium est jus statutum ab omnibus, aut ferè omnibus gentibus, non quòd omnes gentes conveniant ad illud constituendum, sed quia diversæ gentes, propter voluntatum & arbitrorum similitudinem, idem singulæ statuerunt scripto, vel potius usu tantum & consuetudine, vim legis habente. Ergo jus gentium hominum placito statutum est, & consequenter formaliter positivum est.

Dico: Formaliter positivum est: nam materialiter, seu ex parte materiæ, partim naturale est, & partim positivum. Nam ab omnibus aut ferè omnibus gentibus constituta sunt aliqua, quæ sunt juris naturalis, & quoad hoc communi gentium consensu confirmatum est jus naturale. Item ab omnibus aut ferè omnibus gentibus constituta sunt aliqua, quæ sunt juris merè positivi, ut divisio agrorum, servitus captorum iusto bello, &c.

Quæres, in quo jus gentium differat à naturali?

R. 1. Differt in eo quòd ab hominibus constitutum sit, naturale verò à Deo, ut auctore naturæ. 2. Differt in eo, quòd per illud præcipiantur, prohibeantur, & statuuntur aliqua, quæ non sunt jure naturali

præcepta, prohibita, vel statuta. Jus tamen gentium non est contrarium juri naturali: 1. enim non est contrarium, ut est materialiter naturale; cum sub hoc respectu sit potius juris naturalis confirmatorium. 2. Non est contrarium, ut est etiam materialiter positivum; nam quæ sub hoc respectu præcipit, prohibet vel statuit, non sunt quidem præcepta, prohibita, vel statuta jure naturali. At jus naturale permittit ea præcipi, prohiberi, vel statui, ut patet in servitutis institutione, divisione agrorum, possessionum proprietate, &c.

XX

DISPUTATIO III.

De lege Mosaica.

N Ota. Lex divina positiva dicitur ea, quæ ab ipso Deo immediatè lata, aliter promulgata est, quàm per dictamina rationis naturalis, nempe scripto, vel voce; in quo lex divina positiva differt à lege divina naturali, quæ per dictamina practica rectæ rationis hominibus intimatur.

Dividitur autem lex divina positiva, 1. in purè positivam, seu in positivam tam materialiter quàm formaliter, & non purè positivam, hoc est, positivam formaliter, & materialiter naturalem, quæ divisio intelligitur ex dictis Disput. I. Art. ult.

Dividitur 2. in veterem seu Mosaicam, & novam seu Evangelicam; quæ divisio est adæquata, per legem positivam divinam intelligendo integrum quoddam corpus juris divini, continens multa statuta, & traditum alicui multitudini hominum, ut vivant sub iisdem sacramentis, eodem modo sacrificandi, & eodem cultu externo Dei, & sic efficiant unum corpus mysticum. Lex enim divina positiva, sic sumpta, præter Mosaicam & Evangelicam alia non fuit, aut erit: nam nulla alia ejusmodi lex divina ante Mosaicam data fuit hominibus, aut dabitur post Evangelicam, ut constat ex Sacris Scripturis. Fuerunt tamen, ut certum est, in lege naturæ aliqua præcepta divina positiva, ad valde longum tempus lata, & consequenter particulares aliquæ leges divine positivæ, aliter quàm per rationis dictamen practicum intimatæ, ut præceptum abstinendi ab esu sanguinis, præceptum circumcisionis, &c. sed quæ non efficiebant corpus juris.

ARTICULUS I.

A quo, & quibus lata fuerit lex Mosaica.

RESPONSIO I.

L Ex Mosaica immediatè à Deo lata est hominibus. Est contra Manichæos, qui, ut refert S. Augustinus lib. de hæres. num. 46. docebant Deum, qui legem per Moysen dedit, & in hebrais prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum.

Prob. autem 1. autoritate Christi Matth. cap. 15. ubi loquens de lege Mosaica, vocat eam mandatum Dei. Irritum fecisti, inquit, mandatum Dei propter traditiones vestras. 2. Autoritate Concilii Trident. sess. 4. in decreto de Can. Script. ubi dicit Deum authorem esse veteris & novi testamenti.

Potè lex Mosaica, quamvis à Deo immediatè lata, non fuit tamen ab eo promulgata immediatè, sed à Moysè, cui à Deo angelorum ministerio tradita est, ut constat ex Apostolo Galat. cap. 3. Quid, igitur lex, inquit, propter transgressionem posita est ... ordinata per angelos in manu mediatoris. Et ex Actor. cap. 7. ubi Stephanus martyr sic ait de Moysè: Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus nostris: qui accepit verba vite dare nobis. Unde ille, nempe Angelus, qui